incommodè septimus figuratus. Idem numerus 2187, in aliâ continuè proportionalium serie, est ab vnitate figuratus quartus: cuius latus 6 $\frac{838521}{1000000}$ est sinus secundus quæsitus.

Quoti 47. factus ab iis 28. qui ductus in communem diuisorem 2 facit 56. LOGARITHMVM figurati 2187.

			Logar.			Log.
Continuè proportionales	1	(0)	0	1	(0)	0
	3	(1)	8	6838521	(1)	14
	9	(2)	16	46765372	(2)	28
	27	(3)	24	319805598	(3)	42
	81	(4)	32	2187	(4)	56
	243	(5)	40			
	729	(6)	48			
	2187	(7)	56			

Notandum hos Logarithmos *diuersos esse ab iis, qui ad illustrationem superioris Propositionis adhibebantur? in hoc autem conueniunt, quod vtrobique* Logarithmus *vnitatis est 0. quo posito,* Logarithmi *eorundem numerorum vel sunt æquales, vel saltem proportionales inter se.*

Sinus primus diuidit tertium) debet primus diuidere *tertium, & tertii quotum, & quoti deinceps quotum quemlibet, quoties poterit, donec quotus vltimus sit minor diuisore. Deinde diuisionum harum numerus notetur, non autem quoti alicuius quantitas, (nisi fortè minimi, de quo mox plura dicemus) eodem modo secundus, eundem tertium eiusque quotes diuidat. Ita etiam diuidatur ab vtroque quartus. Vt*

Sunto sinus	primus	2
	secundus	4
	tertius	16
	quartus	64

Primus 2, diuidit tertium 16, quater. Suntque quoti 8. 4. 2. 1. Secundus 4, diuidit eundem tertium 16, bis. Suntque quoti 4. 1. erunt igitur, A, 4. B, 2.

Eodem modo primus 2, diuidit quartum 64, sexies. Quotique sunt 32. 16. 8. 4. 2. 1.

Secundus 4, diuidit quartum 64, ter. Quotique sunt 16. 4. 1. Sunt igitur C, 6. D, 3. ato vt A, 4. ad B, 2: sic C, 6. ad D, 3. & sic Logarithmus *secundi, ad* Logarithmum *primi.*

Si in hisce diuisionibus, vltimus & minimus quotus vbique sit vnitas, vt in istis quatuor propositis: erunt numeri quotorum, & Logarithmi *diuisorum, reciprocè proportionales. Aliàs ratio non erit prorsus eadem vtrobique: veruntamen si diuisores fuerint exigui & diuidendi satis magni, ita vt quoti sint plurimi; defectus iste proportionalium, vix aut ne vix quidem percipi poterit.*

Hinc fit quod numeri oblati Logarithmus.

Sumantur duo numeri 10. & 2, vel quiuis alius; & sit Logarithmus *primi datus, scilicet 100, quæritur* Logarithmus *secundi, Primò, secundus seipsum toties multiplicet, vt numerus factorum, vnitate tantum superetur, à dato primi* Logarithmo. *Deinde vltimus factus, diuidatur per primum numerum 10, quoties fieri poterit; & eodem modo per secundum. Erit autem numerus quotorum, facti à secundo diuisi, 100. (quia factus iste est figuratus centesimus. Et si numerus aliquoties in seipsum ductus, faciet aliquem; idem numerus factum toties diuidet, & semel vlterius. vt 3 in seipsum quater ductus, facit 243. idem 3, diuidit 243 quinquies, & quoti erunt 81. 27. 9. 3. 1.) Deinde si idem factus diuidatur à primo 10, manifestum est, numerum quotorum, vnitate tantum minorem esse numero locorum in diuiso. Idcircò cùm idem factus diuidatur à datis duobus numeris, quoties fieri potest? erunt (per præcedentem propositionem) numeri quotorum, &* Logarithmi *diuisorum, reciprocè proportionales. Est autem numerus quotorum secundi, æqualis* Logarithmo *primi; idcircò numerus quotorum primi (id est numerus locorum in facto, vno dempto,) æquabitur* Logarithmo *secundi.*